



1711 12/20 6 2/2 1/2 1/2 1/2

Sammelbet!

D 122

2



QVAESTIO  
 EX HISTORIA ANTE-DILUVIANA  
 SELECTA  
**QVO ANNI TEMPORE**  
**MVNDVSSIT CREATVS**

QVAM  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
 DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**  
 DVCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIVM,  
 ANGARIAE WESTPHALIAE QVE etc.

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI INDVLTV

IN ACADEMIA IENENSI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET,  
 PRÆSIDE

**M. IO. FRIDERICO WVCHERER,**

RESPONDENS

IO. MARTINVS Miller /

VLMENSIS

AD D. IANVARIJ M DCC X.

---

I E N Æ, Typis MVLLERIANIS.



VIRIS  
MAGNIFICIS, SVMMÆ REVERENDIS  
ATQVE EXCELLENTISSIMIS,

DOMINO

**MICHAELI FÖRTSCHIO**

Doctōri Theologo consummatissimo, & sanctiorum studiorum in hac alma Salana Professore Publ. Primario, Facultatis suæ Seniori grauisimo.

DOMINO

**IO. FRANCISCO BVDDEO**

SS. Theol. itidem Doctōri ac Professore famigeratissimo, h. t. Decano spectatissimo;

DOMINO

**IO. ANDREÆ DANZIO**

SS. Theol. Profess. Publ. Extraordinario & LL. Orientalium, Ordinario longe celeberrimo, Facultatis Philosophicæ Seniori h. t. Decano maxime spectabili;

*Patronis, Præceptoribus ac Studiorum Promotoribus pio semper cultu prosequendis*

hoc qualescunq̄ue industriæ academicæ specimen  
infinitorum in se meritorum memor sacrum esse voluit

M. IO. FRIDER. VVCHERER.







*Quaestio ex Historia antediluviana,  
quo anni tempore mundus sit  
creatus.*

**PRAEFATIO.**

**D**ifficile opus aggredior, dum quo anni tempore mundus conditus sit, declarare audeo. Ita enim exercuit hæc quaestio eruditissimos Chronologorum, ut modo affirmatiuæ subscripserint sententiæ modo negatiuæ. Illustre specimen exhibet magnus Iosephus Iustus Scaliger: qui priori de emendatione temporum editione, Lutetiæ Anno 1583. in lucem emissa, Lib. V tract. de mundi conditu. *Hoc certissime, ait, affirmare possum, nullam methodum eruende veritatis in hoc negotio certiozem esse hæc, neque fidelius ab vno tradi posse, quam a nobis tractata est. Primus dies hexaëmeri feria prima, in XVIII Aprilis, VI, quo creatus homo die XXIII. Aprilis &c. pag. 201. Ast quam certus fuerit tantus vir in sententiâ quam, pro certa venditavit, ex*

A 2

altera





altera patet editione Colonia Allobrogum Ao. 1629.  
 edita, in qua libr.V. sententiam, quam antea defende-  
 rat futilem nominat. p. 368. & plane contrariam suam  
 facit. Indulgebimus itaque in materia hac dirimen-  
 da coniecturis, iis tamen a vero non admodum ab-  
 horrentibus. Ante vero quam hoc fiat, occurren-  
 dum est obiectioni, quæ hanc infrequenter solet op-  
 poni. Ineptam credunt varii inutilemque in quæstio-  
 ne hac resoluenda, operam collocatam. Hottingerus  
 in histor. creationis: *hæc anni tempora non spectare pu-  
 tat ad naturam inchoantem & imperfectam, sed ad con-  
 tinuantem & ordinariam.* Solide ad hæc Calouius:  
*Omnino certum oportet figi initium annique tempus, unde  
 deducantur cetera. Quod ergo dicit: HOC PRIMVM  
 CREATIONIS INITIVM NEC VERNVM, NEC AV-  
 TVMNALE ESSE; SED OECONOMICVM etsi de primo  
 creationis die concedi possit, non tamen de die conditi  
 Solis admittendum est; Poni enim debet motus Solis  
 aliquod principium, si mensura temporis capienda est,  
 & anni ab eius motu. Quicquid de primo mundi tri-  
 duo sit, extraordinarie a luce primogenia constituto, quod  
 dispensationis diuinæ fuisse adeo inconueniens non est.  
 Chronico Biblico, bibliis illustratis præmissis Sect.  
 Iuda Quæst. I. pag. 61. Accedit Hottingero doctissimus  
 Vir, qui in deliciis Philosophico-Mathematicis P. III. p.  
 283. ridet Chronologos, quod in determinando anni  
 tempore, quo mundus conditus sit laborare soleant,  
 cum friuola potius & indigna, quæ inter eruditos au-  
 diatur, eadem censenda quæstio sit. Siquidem quo  
 tempore in hoc loco Ver, eo ipso alibi Autumnum &  
 rur-*



rursus alibi astatem, iterumque alibi hyemem fuisse manifestum iudicat, atque pro varietate regionum, quas omnes mundus amplissimæ significationis vocabulum comprehendit, variam & incertam responsionem dandam. Reponimus, incautum admodum hoc esse de quæstione hac iudicium: Ut ut enim Sphærica globorum & terrestris dispositio, aëris clementiam huic promittat loco, quo tempore alibi frigore rigent omnia, **NON AD TEMPESTATES tamen IN HAC CVRA, SED TEMPVS IPSVM RESPICIVNT CHRONOLOGI. QVOD INGRESSVS SOLIS IN CARDINALIA COELI PVNCTA VNIFORMITER DETERMINAT,** ita ut Sole in arietem ingresso, Ver dicatur, Cancrum æstas, Libram autumnus, Capricornum Hyems: Quomodocunque aër ob locorum varietatem vbiuis affectus sit: neque enim cum fluxis & aëreis sed constantibus & sidereis characteribus ei, qui temporum ordinem exponit, solet esse negotium, conf. omnino B. Strauchii Breuiarium Chronol. p. 266 & 267. Quare aliorum iudiciis non deterremur: sed lati ad materiæ nostræ, difficilis licet, tractationem accedimus, duabus explanaturi sectionibus negotium hocce. Quarum prior sententiarum diuortia; altera nostram tradet sententiam.



§. I.



Maximum datur inter Chronologos diffidium, quo in signo cum mundus conderetur, Sol fuerit a Deo primitus collocatus. Cluverius: *Quæritur nunc, inquit, qua tempestate initium anni fecerint Celta, Veris, Aestatis, an Hyemis principio? Omnino hyemis*

*credo principio, ut Aegyptii, Hebraeorumque vetustissimi. Namque id ipsum conditi aui fuit initium. L. I. Germ. Antiquæ cap. XXXIII.*

§. II. Alii æstatis tempore mundum conditum esse sibi persuadent, Aegyptii certe antiquissimi sententiæ huic, si Solino & Macrobio habenda fides est, fauuisse creduntur, Solinus cap. XXXV. Polyhistoris: *Omnem excessus Nili originem de Sole fieri, primamque exultantiam tumoris concipi, cum per cancrum Sol verbatum. Postmodum triginta eius partibus euolutis, ubi ingressus Leonem ortus Sirios excitauerit, propulso omni fluore, tantam vim annis erumpere, quod tempus Sacerdotes natalem mundi iudicauerint, i. e. decimum tertium Calendas Augusti &c. Macrobius autem in Somnio Scipionis Lib. I. cap. XXI. Aegyptios, inquit, quos constat primos omnium calos scrutari ac metiri ausos, soli Leonem, ut domicilium proprium attribuisse, ob id, quod hoc signum soli nativum fuerit. Subnectunt Aegyptii causam, cur 12 signa assignata sint diuersorum nominum potestati, aiunt enim in hac ipsa genitura mundi, ariete, medium cali tenente horam fuisse mundi*



*mundi nascentis, Cancro gestante tunc lunam. Post tunc Sol cum Leone oriebatur, cum Mercurio Virgo, Libra cum Venere, Mars erat in Scorpio, Sagittarium Iupiter obtinebat, in Capricorno Saturnus meabat. Sic factum est, ut singuli eorum signorum domini esse dicantur, in quibus cum mundus nasceretur, fuisse creduntur &c. Gerbardus Mercator huius sententia suscepit defensionem, quod in diluuii historia columbam, die 17. Mensis XI. VIRENTIS OLIVAE FOLIUM dicatur inuenisse; Ad hanc rationem notauit B. Strauchius, oleas putat non nisi Maio mense florere, unde prompta collectio: si mensis XI a natali mundi numeratus Maio respondit, primum Iulio respondisse necesse est. Breuiar. pag. 281.*

S. III. Longe maiorem circa tempus vernum, & Autumnale dissensum eruditorum obseruamus: Qui pro Vere, tanquam mundi conditi termino militant, sunt admodum multi, ut Rabbi Iosua, Arabes, Assyrii, Chaldaei, nec non Persae, Armenii, Aethiopes, alique orientis populi. E Patribus Basilius in Hexaëmero, Athanasius, Cyrillus Hierof. Eusebius, Nazianzenus, Cyrillus Alexand. Theodoretus, Cedrenus, Damascenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus. E recentioribus: Lutherus, Melanchthon, Ioannes Gerbardus, Io. Henr. Alstedius, Baronius, Genebrardus, Ricciolus, Kasplerus, pluresque alii, quos longa serie adducit B. Caluinus in Chronico Biblico, bibliis illustratis praemisso Sect. II. Quaest. I. p. 41. Cui & ipse adstipulatur, quando ait: Pro uernali autem mundi initio, cum eadem perpetua mensium in Scriptura dinumeratione, quae utique vel semel tantum mensum primum dixisset, qui mundo inuisum praeiuit, nec septimi



Septimi mensis nomine mensē Tisri vocasset, si ille primordialis foret, alia etiam probabilis rationes militent, quae vero ad Chronologiam proprie non spectant, ut & analogia mundi per Christi passionem, vernali tempore reparati: nec non auctoritates magnorum virorum, pro qua Torნიellus viginti, Afcanius Martinensis viginti quinque, Mokina & alii plures allegant Patres h.c. Prouocat demum ad locum Exod. c. XII. z. existantem, qui admodum fauet huic hypothesi.

§. IV. Quam Calouii hypothesin ad quoddam saltem tempus acerrime propugnauit summus iste Chronologorum Iosephus Scaliger Lib. V. de emendatione temporum cap. de Mundi conditu p. 198. seq. Rationes quibus Scaliger motus ad huius sententiæ defensionem, huic fere redeunt; Concipi sc. non posse quorsum terra germinare iussa, vt statim frigoribus primi autumnū exolefceret; & sane, inquit Scaliger, aliter putare meo iudicio est longe longeque a rationis regione, vt Lucretius loquitur, aberrare. Ita denique finit caput hocce: Cum igitur nulla affectata nouitate, nulla mutatione inducta, annis a Mose prescriptis, & æquinoctium & Pbasis, & coitus luminarium conueniat: Præterea contextus annorum etiam testimoniis Ptolemæi, & motuum celestium obseruationibus confirmetur: non dicam nihil dubii in annis mundi reliquum esse, sed hoc certissime affirmare possum, nullam methodum eruendæ veritatis in hoc negotio, certiore esse hac, neque fidelius ab ullo tradi posse, quam a nobis tractata est. Primus dies Hexaëmeri feria prima in decimum octauum Aprilis. VI, quo creatus homo XXIII. April. Confer. tract. supra citatum, pag. 201, lit. C. Imo ab hac ipsa sententia, vt B.

Sirau-



Strucius obseruauit Poëta Latini non fuere alieni: si-  
quidem Virgilius lib. II. Georgicorum cecinit:

*Non alios prima crescentis origine mundi*

*Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem*

*Crediderim: Ver illud erat, Ver magnus agebat*  
*Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri-*

§. V. Hoc loco sunt & ii commemorandi, qui au-  
tumno creatum esse mundum statuerunt: Nicolaus Lyra,  
Pleriq. Iudæi, Josephus, Menasse ben Israel, Alphonsus  
Toftatus, Pererius, Scaliger, Petauius, Caluissius, Jaco-  
bus Usserius, aliq. quos Calouius allegauit loco  
sapius citato. Inter quos quem merito mireris  
& Josephus Scaliger habetur, tantus alias defen-  
sor sententiæ contrariæ. Nicitur Scaliger editione poste-  
riori operis de emendatione temporum lib. V. p. 368.  
sequenti, his argumentis: *In sabbato, quod postremum*  
*est in mense Tisri, incipit Lexionarium Iudaicum, cuius*  
*caput primum, quod תשרי vocant, est initium libri Ge-*  
*neseos. Recentior opinio eorum, qui mundi conditum in*  
*aqui noctium Vernum conferunt: quia, inquit, tunc omnia*  
*germinant: qua contra in autumno marcescunt, alioquin*  
*quorsum, aiunt, terra germinare iussa, ut statim primis au-*  
*tumni frigoribus exolesceret? Sed futile est argumentum,*  
*quauis eactiam olim fuerit opinio nostra. Nam si hoc*  
*uerum est, cum Deus iubet arbores fructum producere,*  
*oporueret uas & reliquos fructus, qui non nisi autumno*  
*maturefcunt, iam in ipso Verno equinoctio fuisse, quod est*  
*absurdissimum. Deinde, qua temeritas est, initium rerum*  
*instituire, diuersum ab initio Ebraeorum prisco. Primus men-*  
*sis in historia diluuii incipit ab Autumno. Tekupha anni*

B

dierum



dierum est in autumno. *Lectionarium vetustissima consuetudine, incipit ab autumno, quare igitur nobis commentum nostrum placet, & aliud initium institimus aduersus verbum diuinum & veteris anni usum. Igitur mundi primordia fuerunt in equinoctio autumnali. conf. Petauius de doctrina temporum lib. IX. cap. 6. p. 18. ut & qui hos sequitur B. Strauchius Breuiar. chronolog. quest. VII. p. 282. seq.*

§. VI. Eorum nobis arridet sententia, qui mense Nisan & tempore verno creatum mundum esse autumant. Non tamen quæuis Calouii argumenta æque firma iudicamus: Faciunt alia ad probabilitatem obtinendam, alia ad illustrandam magis quam probandam rem, de qua quæstio instituitur. Quam enim imbecille sit argumentum ex analogia mundi per Christi passionem vernali tempore reparati, quilibet facile aduertit. Nec quicquam nos mouet ad firmum assensum præbendum auctoritas Patrum, quamplurimorum licet: Forte alicuius confirmationis loco posset illa allegari in quæstione, quoad fieri potest, solide iam probata. Ne interim putemus, quasi his tantum instructus rationibus fuerit B. Calouius: Superfunt & alia, solidiora omnino. Inprimis dictum Exod. XII. v. 2. ad quod in Chronico vel duobus verbis prouocat, fusiori deductione dignissimum.

§. VII. Dictum autem ita sonat: *Hic mensis vobis principium mensium: primus ille esto vobis inter Menses cuiusque anni. Job. Henricus Alstedius Thes. Chronol. ad hunc locum obseruat: Deus Exod. XII. constituit חַדְשׁ הָאֶרֶץ, hoc est, initium anni, & quidem Ecclesiasticè siue*



sive sacri. Hac itaque ratio anni fuit perfectissima: quia  
 ve mensura sacra, sic tempora sacra fuerunt prestantiora  
 civilibus sive politicis. Incipit autem annus Civilis equino-  
 Etio autumnali. Quare si creatio mundi eodem tempore  
 accidit, annus civilis congruit cum prima creatione, ac  
 proinde magis est natura consentaneus, quam annus sacer,  
 si ille non congruit cum prima creatione. Sed hoc absurdum  
 E. & illud. p. 8. Evidentissime ex *Alstedii* verbis eluce-  
 scit, eum tanquam certum supponere, hic nouum anni  
 initium præcepto quodam Deum sanciuisse. Sed ne  
 opus quidem est, ut sententiæ nostræ aduersariis ceda-  
 mus eo vsque: Certe meretur adhuc disputari, vtrum  
 hic habeatur præceptum nec ne? Consentiant in eo *R.  
 Scbelomo, Parapbrastes Chaldeus, Tremellius, Piscator,  
 B. Lutherus* aliique plures: quo concesso *Petauius, Strau-  
 cbius* aliique a nobis dissentientes aduersus nos vtun-  
 tur hoc *Mosis* commate. Sic, vt ex multis vnum alle-  
 gemus, *Straucbium* argumentari deprehendimus pro  
 demonstranda contraria hypothesi: *Patriarcha anti-  
 quissimis temporibus annos suos ab autumno auspiciati sunt,  
 vt propterea noua sanctione opus fuerit, cum Iudei annum  
 Ecclesiasticum a Nisan inchoare deberent, Breviar. Chro-  
 nol. pag. 283.*

§. VIII. Corruit argumentationis neruus, vbi,  
 quod præceptum nouum Exod. XII. 2. legatur, nega-  
 uerimus. Sunt oppido elegantissima, quæ *Schmidius*  
*Tr. de Paschate, P. 1. C. 1. p. 19. ad hunc locum: Quicquid*  
*sit de Septuaginta interpretibus, certe non est aque proba-  
 rum, esse hoc loco præceptum, nam verbum substantiuum*  
*in textu Ebræo subaudiendum est, vnde vero constabit quod*



in futuro, ut, si præceptum est, requiritur suppleri debeat? Verbum substantivum apud Ebraeos omissum in præsentibus potius subaudiendum venit, neque vero etiam contextu manifeste demonstrari potest, quod futurum subintelligendum: cum versus hic a sequentibus, in quibus sine dubio mandata sunt, separatus sit, adeoque non requiratur tempus, quod insequentibus versibus habetur, neque est ut cum quibusdam excipiamus, hoc negato negari textus coherentiam, eandemque destrui. Elegantissima mihi videtur coherentia, quam B. Schmidius loco iam laudato concinnavit, quæ huc redit: *Ceterum dixit Jehouab ad Mosén & ad Aaronem in terra Egypti, dicendo: de tempore anni, in quo vos cum populo vivatis, monendi non estis prolixè: est enim, ut nostis, nunc vobis Mensis, qui caput Mensium est; qui, inquam, primus est inter Menses, omisso igitur prolixiori de isthoc tempore sermone, (manebit namque mensis iste, qui nunc vobis est, & hætenus fuit) rectè ad id accedo, quod in tempore seu Mense hoc observari volo & præcipio: Itaque loquemini ad totam congregationem Israelis dicendo: X. die Mensis huius, hæc, qui veteri more prior est & manebit, accipietis &c.*

§. IX. Accedit tertio, quod vel maxime & sedulo est attendendum, quod Hebræorum gens ante institutum Sacramentum Pascharos, & ante exodum ex Ægypto pro primo inter Menses anni agnouerit Mensem Abib seu Nisan, ut postea vocatus est, ab eoque annum inchoauerit; Secundo, quod Hebræi ab ipsa creatione mundi ita numerauerint Menses & annos: saltem nulla facta mutatio demonstrari potest. Quod si vel maxime concedamus; præceptum h. l. contineri, vnde quæso pro-



probabitur, quod præcise mensis Tisri tanquam principium Autumni sit assumendus: Obstant profecto quamplurimæ rationes. Nouimus equidem, quod Abulensis ita in hunc locum commentetur: *Primus erit Mensibus anni, i. e. ante non erat primus in Mensibus anni, sed nunc mando, quod sit primus in mensibus anni, hoc enim ex superiori bene inferitur sc. Martius est principium Mensium, E. est principium anni: Menses enim primitatem aut posteritatem habent secundum id, in quo ordinantur. Ordo autem finis est in anno: licet E. ante primus Mensis esset September, nunc incipit Martius vocari primus &c.* conferatur B. Sebast. Schmidius in tract. de Paschate P. I. C. I. p. 20. qui locum integrum ex Abulensi retulit. Nulla profecto nobis hæc consequentia esse videtur, hic Mensis primus esto vobis: Ergo antea non fuit primus. Namque Deus potuit hunc Mensem præcepto tanquam primum Mensem confirmare, ut sensus verborum hic resulter: Ego Dominus Ichona vester præcipio vobis, ut hic Mensis Nisan vel ideo à vobis tanquam Mensis primus retineatur, quia in eodem longe maximum vobis contigit beneficium, quod est liberatio ex seruitute Egyptiaca. Quod si igitur Iuda orum quis aut assecla eorundem ex nobis quærat, si Mensis Nisan non ideo dicatur primus mensis, quia eo tempore primus factus sit ex mandato Dei; cur Mensis Nisan primus hoc loco sic appellandus? duplex nobis est in promptu responsio: primum appellari hunc Mensem, quia ipsa facta fuerit creatio hoc ipso Mense, à quo enumerationis modus proflexerit ad posteros. Secunda ratio est, quod peculiare quid hoc Mense Israhelitis contige-



rit , liberatio nempe ex seruitute Ægyptiaca . Nec ali-  
 ena plane est S. Scripturæ ratio , & modus loquendi in-  
 scriptura receptus , uti solidissime sapius laudatus B.  
*Schmidius* obseruauit , *quam infirma* inquit , *hæc con-*  
*sequentis ratio sit , patebit ex simili argumento ;* *Quem*  
*puteum Isaacus* vocauit *בְּרַעָבָה* seu *Bersaba* , voluitque &  
*suo modo* mandauit seruis suis , ut *vocarent eum isto no-*  
*mine , iste puteus prius non fuit ita vocatus ;* *Atqui puteum*  
*Gen. XXVI. 33. &c. Ergo &c. Atque major falsa est , quia*  
*prius jam ita erat vocatus ab Abrahamo Gen. XXI. 31.* Ex-  
 cipiunt , hanc nostram hujus loci explicationem vel ideo  
 esse rejiciendam , quod , omnibus Hebræis fatentibus ,  
 Mensis Nisan ante datum hoc Israëlitis præceptum non  
 fuerit primus Mensis . Respondemus , quandam equi-  
 dem hanc exceptionem secum ferre difficultatem , non  
 tamen insuperabilem ; Nam *Abarbanel* aliique plures  
 inter Hebræos Doctores obseruarunt , Israëlitas sese ac-  
 commodasse in Mensibus enumerandis ad morem  
 Ægyptiorum : Præter miserunt itaque ex nostra senten-  
 tia Hebræi , ex metu Ægyptiorum , morem Menses nu-  
 merandi sibi alias receptum , deinde facta à jugo Ægy-  
 ptiaco liberatione primus iterum euasit Mensis iste , qui  
 alias fuit primus ; Quare sensus hujus loci eo demum  
 redit : Mensẽ huncẽ in prærogatiua sua à DEO esse  
 confirmatum propter factum peculiare , quod hoc  
 Mense contigit . Non tamen hoc loco omittere debemus  
 interpretum eruditissimorum obseruationem ,  
 quæ hujus est tenoris : Si DEUS voluisset Menses nu-  
 merari numeratione plana & prius non usitata , initium  
 Mensium constituisset potius plenilunium Mensis , quo  
 exi-



exiuerunt ex *Aegypto*, quo modo accurate numerasset ab exitu suo *Israëlitæ*, id vero quia factum non est, arguit probabilissime, quod *DEUS* priorem numerationem Mensium, & Mensium initia relinquere voluerit, sicut iam olim fuerant, nouam autem rationem addere voluerit, qua numeratio ista sufficienter confirmaretur, quod in *Mensem* primum nouum *DEI* beneficium incidisset; Ex quibus omnibus rite ponderatis sequitur, nostram huius dicti explanationem præferendam esse parti aduersæ, & à nostrapotius stare sententia, quam eandem infringere.

§. X. Superfunt nobis aliæ adhuc rationes, quibus euidenter reddere conamur sententiæ nostræ assertum. Tempore verno est natale principium anni, & virescere ut & florescere singula occipiunt, probabilissimum hinc redditur, hoc tempore ipsum mundi existentiam cœpisse efflorescere. Auget probabilitatem nostri ratiocinii dictum *Gen. I, II. extans: Iterum, dixit DEUS, herbascat terra herbulas, herbas sementantes semen, arbores fructiferas edentes fructus in species suas, in quibus suum semen super terram, & produxit terra herbulas.* Quo quæso sine hæc omnia *DEUS* ex terris prodire iussisset, si frigore Autumni quæuis statim iterum marcescere & exolescere debuissent, probabilius videtur longe esse, per quoddam tempus fuisse residuas, res huiusmodi à *DEO* productas: nec quicquam acris in iudicando *Scaligeri* iudicium moramur, quo ineptam hanc vocat sententiam; ipsa commemorare verba iuuat: *Futile est argumentum, dicit, quamuis ea etiam fuerit olim opinio nostra, nam si hoc verum est, cum DEUS iudicet*

bett



bet arbores fructum producere, oporteret uis & reliquos fructus, qui non nisi Autumno maturescunt, jam in ipso verno æquinoctio fuisse, quod est absurdissimum. At ex mea opinione non videtur Scaliger attendisse, quod juxta mandatum DEI solummodo secundum species suas fructus prodire debuissent, uti ex verbis textus inspectis evidentissime elucescit. Quamobrem cum species vuarum repugnet, prodire tempore verno, nec prodierunt, atque suffecit DEUM plantis proferendi uas vim indidisse.

§. XI. Accedit ratio alia, quæ ad sententiam nostram nos permouit, quod diluuium tempore Verno probabiliter factum sit. Namque si diluuium inchoauit tempore Verno, & mundi ortum tempore Verno contigisse, non à vero abhorret. Alstedius in Thesaurò Chronologiæ: *Historia diluuii ostendit, hanc anni rationem diuinitus ordinatam fuisse. Nam, cum emissæ à Noë columba mense Februario, frondem oleæ attulerit, Vere potius, quam hyeme imminente oleam germinasse statuendum est. p. 8.* Solet autem & hæc nostra probatio à multis vocari in dubium, fereque illi, qui mundum autumnii tempore conditum asserunt, diluuium tempore eodem accidisse statuunt. Allegant pro sua sententia Iudæos antiquiores, tempore autumnii factum diluuium contententes, inter quos & Iosephus est: *συνέβη τῷ τοῦ αἰῶνος, κατὰ τὸ ἐξαιροσιώτην εἶδος ἢ δὴ Νώε τῆς ἀρχῆς, ἐν μὴν δευτέρῳ, διὰ μὲν τῶν μακεδόνων λεγόμενα μαρσονίην δὲ τῶν ἑβραίων. οὕτω γὰρ ἀγύπτια τὸν ἐνιαυτὸν ἡσταν διατελεχέρος. Contigit hæc vastitas anno ætatis Noæ sexcentesimo Mens. II. qui Dies à Macedonibus vocatur, ab Hebræis Mar.*



*Marfonane, sic enim Aegyptii distinxerunt annum. Lib. I. Antiq. Iud. Cap. IV. p. 8. lit. G. in fine. Sola hujus auctoritas non sufficit: & quam saepe fidem suam Iosephus dubiam reddiderit, est in aprico. Probabile est insuper, Aegyptios secutum esse Iosephum; eo certe Caloni-  
 us abijt: Secutus ille Aegyptios est, quibus quos annis veluti diluuium contingit, ut terra aquis exsiccatis autumnali tempore sementem patiat, unde ab universali diluio orbem terrarum eodem tempore exsiccatum, atque iterum reparatum crediderunt. Chron. Bibl. p. 63. Absonum insuper videtur Noam, cum arca egrederetur, se suosque cum animantibus integrum pene annum usque ad tempus nouarum frugum sustentasse. Addit Alstedius: Non est verisimile, DEUM Noacho imperasse exitum ex arca, tempore hiberno, sed verno, ut ex squalore carceris liberatus exhilararetur amantitate Veris, & animalia pastum inuenirent. p. 9.*

S. XIII. *Quarta rationis & illustrationis loco accedere potest Iudaorum auctoritas quorundam hac in re nobiscum sentientium, nominatim producit B. Caloni-  
 us Rabbi Iosua; imo & inter Arabes non defuere, qui huic sententiae fauerunt. Locum ex Arabibus produxit Hottingerus Hist. Eccles. Tom. I. p. 4. tempore, quo constituit DEUS noctem & diem, ingrediebatur sol caput Arietis, die VIII. Mensis Adar &c. Imo ipse Scaliger priori editione de emendatione temporum, ubi nostram sententiam adhuc defendit, prouocat expresse ad Iudaos, quando ita loquitur p. 198. Cap. de mundi con-  
 ditu: Quamvis caput anni a Tisri, & equinoctio autu-  
 nni incipere, tam institutum Chaldaeorum, a quibus hanc*

C

anni



anni formam acceperant, moneret, quam etiam naturalis ratio de æquinoctio autumnii ad alterum æquinoctium tantum interualli ponit; quantum est a Neomenia Tisri ad Neomeniam Nisan, quod est dimidium anni lunaris, tamen ipsius anni solaris sui initium ab æquinoctio Verno instituerunt, feriam, qua luminare utrumque conditum scribit Mosès, non in Tisri, sed in Nisan posuerunt.

§. XIII. Restat, ut argumenta dissentientium examinemus, quorum pars vix indiget refutatione. Placuit B. Stranchio inter alia & hæc proferre: (1.) Sicut tenebræ se habent ad auroram, ita autumnus videtur se habere ad reliquas anni tempestates. At ille priores fuerunt luce, hinc & hic reliquis anni temporibus. (2.) quia de arboribus dicitur, quod habeant semen suum in se, quod ad vernum tempus non æque quadrare videtur, atque ad autumnale. (3.) R. Elieser & reliqui Iudei cabbalisticè hoc probant è prima voce Geneseos תשרי, quæ per Metathesin Tisri est p. 284. l. c. Regero ad hæc, primum non esse argumentum probans sed illustrans: à comparato autem nullam duci argumentationem posse. Secundum, pro nobis, siquid valet, facere. Tempore enim Verno, quando semen ebullire occipit, producereque debitos effectus, multo magis semen in se continere dici posse arbores. Tertium esse Cabbalisticum, i. e. nullum, dudumque observasse eruditos, quod nulla argumenta ex Kabbala literali sint desumenda, quibus solide quid probare præsumatur.

§. XIV. Majoris momenti pro autumnio sunt sequentes: Dicunt nimirum aduersariæ sententiæ patroni, diem expiationis in memoriam lapsus Adami esse in-



institutum, diem autem expiationis celebratum fuisse mense Tisri, hinc firma iis videtur fluere argumentatio: si dies expiationis in memoriam lapsus Adami est institutus, sequitur mundum in autumnno esse conditum; consequentia hanc adducunt rationem, quod si lapsus sit Adamus tempore autumnni, ideo mundus tempore autumnni conditus statui debeat, quod vix per aliquot dies statum innocentia creatione sibi communicatum seruauerit. Enimvero fallax admodum est neruus hujus argumentationis: quia nititur Rabinorum conjecturis, illudque adhuc probandum restat, in memoriam lapsus Adami diem expiationis tempore autumnni esse institutum. Præterea incertum & hoc est, concludere velle, quia in memoriam lapsus Adami dies expiationis est institutus, E. etiam tempore autumnni mundus creatus est; potest profecto expiationis festum institui in memoriam lapsus Adami, licet vel maxime alio tempore instituat, quam quo mundus conditus est; quæro te, an expiationis scopus primarius est designare tempus? ego haudquaquam crediderim.

S. XV. Majorem adhuc probabilitatem præ se fert, quando Scaliger, Petauus, & quam plurimi alii ad reuolutionem anni prouocant, cap. XXXIV. Exod. v. 22. hujus hæc verba sunt: *Etiam festum septimanarum feriat tibi, primitiarum messis triticea & festum collectionis reuolutionem cuiusque anni.* Tale exinde formant argumentum: *Ubiunque statuitur anni reuolutio, ibi est initium anni, statuitur autem anni reuolutio hoc in loco, Ergo etiam anni initium stabiliur loco eodem.* Fiebat quippe collectio frugum anno exeunte & nouo redeunte



deunte. Optime notat ad hoc argumentum B. *Schmidius*, nullam, ne minimam quidem esse illius consequentiam. Siquidem *II. Sam. XI. 1. & II. Chron. XXIV. 23.* fermo est de reuolutione quadam anni, ubi Mensis Tisri intelligi non possit. Duplicem itaque malunt statuere reuolutionis anni significatum. Significatus primus est, quo reuolutio anni denotat initium anni, quando annus alter exit, alter autem capit primordia. Hæc significatio profecto hujus loci esse nequit, ipsa quippe frugum collectio non fiebat in reuolutione anni noui, verum hoc festum celebratum fuit in medio mense Tisri, XIV. jam mensis Tisri diebus exactis. Si itaque *S.* Scriptura voluisset determinare his verbis certum anni principium, dixisset potius: *Et festum collectionis in principio anni instituatur.* Superest igitur alius vocis significatus, quo idem est ac finis laboris, operis, negotii cuiusdam, qui significatus commodissime huc referri potest. Namque in mense Tisri collectio fructuum anni finiebatur, erat enim festum hoc, quo collectio fructuum & proventuum terræ pertenuit ad finem. Re-geres forte, quomodo autem quadrat huc vocabulum reuolutionis? Optime quidem quadrare huc vocabulum videtur. Fiebat collectio singulis annis: confertur *Seb. Schmidius* sæp. allegatus. Nec obseruatio *Guffe-rii*, quam in *Comment. Ling. Ebraicæ* attulit, prætermittenda est. p. 740. Lit. A. B. *Iudei, qui que eos audiunt, ibi anni initium statuentes, nulla auctoritate diuina nituntur,* adduxit varia loca parallela ex *II. Chron. XXIV. 23. Psal. XIX. 6. I. Sam. I. 20.* quorum explicationem uberiorem habebis in commentariis citatis. Ergo præter merita

Sca.



Scaliger inculcat eos irreuerentia erga S. Scripturam, qui mundum Vere conditum esse contendunt, quando in opere de emend. temporum ex editione posteriori p. 368 Lit. D. dicit: *Quare igitur nobis commentum nostrum placet, & aliud initium statuimus aduersus verbum diuinum & veteris anni usum.* Non enim sententiam nostram Scripturæ aduersari, hucusque euicimus. Quod ad veteris anni usum attinet, quam ruinoso nitatur fundamento, mox demonstrabitur.

§. XVI. Prouocare etiam solent ad locum alium ex cap. XXIII. Exod. d. sumtum, quo expressis verbis dicitur: *Festum collectionis in exitu cuiusvis anni debere celebrari.* Regerimus autem, quod annus etiam tum dici possit exire, quando fructus ejus omnes sunt collecti, exit nempe in anno, dicit Schmidius, *id tempus, intra quod fructus suos profert, & ad maturitatem prouebit, ita apud nos quoque Christianos, qui annum non in autumno sed media hyeme inchoamus, tempore tamen autumnali, quando de fructibus sermo fuerit, sine ulla absurditate dixeris, annum exiuisse, annum ad finem suum peruenisse.* Dignissimæ sunt notatu Gussertii obseruationes in Comment. Linguae Ebraicæ p. 338. *notabilis, inquit, phrasis est: מָחָר תֵּבַח בְּיָמֵינוּ, ubi cadit in tempus fisti tabernaculorum, at quomodo? an quod significet exeunte anno? ut quidam putant, quasi finis unus anni esset hac tempestate in mense Tisri sicut & unus finis anni est in Nisan, sed contra primo ad hominem phrasis non convenit eorum sententia. Nam tabernacula fiebant in mense Tisri, & à die ejus XV. totam septimanam complebant juxta Leuit. XXIII. 33. illi autem ponunt initium hac tempestate non in medio, sed in*



primo mense Tisri, censentque annum precedentem exiisse jam tunc, imo in Elul precedente, in die XXX. ejus Incongrue ergo tabernacula facta fuisse exeunte anno diceretur ab autore, aut exponeretur ab interprete. Paucis interiectis pergit non exprimunt Ebrai per  $\text{ל}^{\text{א}}$  sed per  $\text{ל}^{\text{ב}}$  finem annorum; porro constanter Tisri numeratur septimus inter menses, non potuit ergo poni in eo finis aut initium anni. Peculiaris est, quam litera D. eadem pagina adducit, interpretatio, quando ita ait: Magis adhuc apposita videtur, quam nunc tradam, explicatio, ea alludit ad verbi acceptionem de solutione tributi, nempe annus soluit tributum cultori ac Domino fructibus suis, hoc primum; deinde non necesse est sumere  $\text{ב}$  ut notam temporis, inseruit enim ad alia quoque, interdum ad notandum id, per quod, vel instrumentum, medium, quo res fit; unde sensus esset: ut festiuitatem celebres per fructus quos protulit annus;  $\text{ל}^{\text{א}}$  per  $\text{ב}$  producere anni, vel per productionem anni, & hoc apte referetur ad praeceptum, quod tanto opere urgetur Exod. XVIII. 16. & Deuteron. XVI. 13. 14. 15. 16. *Vt non sis vacuus muneribus, tum compares coram Deo & sigillatim muneris* (1.) de festo Paschali Exod. XXIII. 15. (2.) de festo Messis, ut afferas primitias; (3.) de festo collectionis ut illud celebres fructibus, quos terra tibi vectigalis instar soluit &c.

§. XVII. Denique restat, ut discutiamus, an ex annis Sabbathicis & Jubilæis, institutis in memoriam Dei à creatione quiescentis, celebratis tempore autumnus colligi quid possit: at hæc probatio imbecillis est admodum; Namque dubitare omnino adhuc licet, utrum sequatur, quia anni jubilæi & Sabbathici tempo-



re autumni inceperunt, ergo tempore autumni mundus conditus est, confer. B. Seb. Schmid. de Paschate p. 24. seq. Sententiam, ait, quam omnes Judæi post Talmud admittere coguntur, quotquot quidem traditiones ejus agnoscunt, hæc est: quod mundus conditus sit in Vere, quam enim in Talmude tract. de principio anni C. 1. Rabbi Elieser existimavit, mundum in autumno conditum esse, tamen sententia Rabbi Josue, quod in Vere conditus sit, obtinuit, & deciso secundum illam, & pro illa facta est, annotante Abarbanel, hinc difficilis omnino questio oritur, quare Sapientes Israël in initium anni in Tisri fixerint? bene autem iterum Abarbanel advertit, Indis ac Chaldeis hanc sententiam suos debere natales. Hæc sunt, quæ circa intricatam admodum quæstionem monere volumus, Lectorem rogantes, ut si quæ observaverit minus accurate dicta, benigne excuset. Vale benevole lector & faue conatibus nostris.

SOLI DEO GLORIA.







00 A 6357

ULB Halle

002 845 008

3




56.

v> 98

Rebo











24.

*QVAESTIO*  
EX HISTORIA ANTE-DILUVIANA  
SELECTA  
**QVO ANNI TEMPORE**  
**MVNDVSSIT CREATVS**

*QVAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, JULIAE, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE etc.  
*AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI INDVLTV*

IN ACADEMIA IENENSI  
*PVBLICO ERVDITORYM EXAMINI EXPONET,*  
PRÆSIDE  
**M. IO. FRIDERICO WVCHERER,**

RESPONDENS  
**IO. MARTINVS Miller /**  
VLMENSIS

*AD D. IANVARIJ M DCC X.*

**I E N Æ, Typis MVLLERIANIS.**